



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 101. Papæ consilium de creandis Cardinalibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

**Sæcul. XVI.** admodum in Paceci Cardinalis electio.  
A.C. 1551. ne olim contigerat , quamvis hic jam.  
 jam nominatus paſſim crederetur, prius.  
 quam Synodum accederet. Eadem  
 quoque ratio abſterrebat Pontificem,  
 ne Pighinum Synodi Præfidem ad Car-  
 dinalitiam dignitatem nominaret, quam-  
 vis illum ceteroquin plurimi haberet,  
 verebatur enim , ne Electores Archie-  
 pifcopi, qui in Synodo erant , non fi-  
 ne indignitate ferrent, quod iſpis Præ-  
 latus dignitate inferior præponeretur.  
 Denique quartus summo Pontifici mi-  
 nus placebat ; is erat Hydruntinus Ar-  
 chiepifcopus , eoquod is in religionis  
 cauſa ad Cardinales fidei Inquilitores  
 delatus fuifset.

## §. CI.

*Papæ consilium de creandis Cardi-  
nalibus.*

**Pallav. l. 13.** Sub idem tempus Papa , ut Cæſaris  
cap. I. preces , ac follicitationes præverte-  
ret, quatuordecim Præfules omnes natio-  
ne Italos purpura honorabat, ac duntaxat  
unum ſuo tempore nominandum *in pe-*  
*ſore*, ut inquiunt , reservabat : porro  
ut majorem promotorum numerum,  
per quem facrum Collegium ad qua-  
draginta octo Purpuratos excreverat,

ex-



excusaret, bellum sibia Galliarum Regis  
 illatum, necnon edicta ab eodem pro-  
 mulgata, ac denique Patriarcham in  
 Galliis instituendi molimina obtende-  
 bat; quippe de nova hac Ecclesiastici  
 regiminis forma rumor Genua, ac Lug-  
 duno emanabat, ubi abs dubio hoc  
 commentum cudebatur, cuius falsita-  
 tem, quamvis Papa haud ægre cog-  
 noscere potuisset, lubens tamen illius  
 opportunitate utebatur ad exequenda  
 futuræ promotionis consilia, quam in  
 rem affirmabat, quod Franciæ Regnum  
 censuris involvere cogeretur, si sparso de  
 intrudendo Patriarcha rumori veritas  
 constaret, ac proin omnino necessarium  
 esset, ut Gallorum Cardinalium factio-  
 nem, ac repugnantiam imminueret,  
 ac frangeret per electionem plurium  
 Virorum, qui exigente necessitatis casu  
 sua sedi Apostolicæ obsequia præstare  
 valerent. Alia adhuc summo Pontifi-  
 ci attribuitur ratio, quæ veritati magis  
 accedere videbatur; timebat enim, ut  
 fertur, ne Episcopi, ac Germaniæ, &  
 Hispaniæ Theologi, cum sermo de mo-  
 rum emendatione incideret, Papæ au-  
 toritatem imminuere molirentur: ast  
 utut res se habuit, id omnino certum  
 est, quod hæc Cardinalium creatio ha-  
 bita fuerit hoc anno Domini millesimo

N 2

quin-

Sæcul. XVI. quingentesimo quinquagesimo primo  
A.C. 1551 feria sexta die vigesima Decembris. (1)

§. CII.

(\*) Haud toleranda est Continuatoris impudentia, qua in sui commenti testes allegare non erubuit Pallavicinum, & Thuanum, quorum tamen prior hæc ipsa mendacia a Paulo Sarpio Scriptore nequissimo procusa confutat, alter vero de hac fabula nec verbum quidem adducit. Cur autem Sarpium suum citare non ausus est Continuator? cur Pallavicinum allegans numerum citare noluit? nonne Lectorem suum nequiter decipere intendit, qui aliquid cernens Pallavicinum ob hujus Scriptoris auctoritatem res ita narratas hand dubias esse credere posset nulla eidem suborni suspicione, quod hic idem Auctor oppositus comprobet, & hujus mendacii Architectum refellat. Hæccine est Historici Ecclesiastici integritas, ac fides! qua autem fronte Papam, veluti loquentem inducere potuit, cum tamen nullum horum verborum testem invenerit praeter mendacem suum Sarpium? nonne ipse Continuator livido hoc Scriptore adhuc pejoratum alteram rationem de imminuenda auctoritatis metu summo Pontifici ex proprio suo cerebro affingit, nullo alio allato testimonio, praeter illud: *ut fertur*. Quo argumento comprobare posset, quod Papa auctoritatem suam ab Episcopis, & Germaniæ, ac Hispaniæ Theologis